



DE
DIIS DORMIENTIBVS

CARPTIM PRAEFATVS

ORATIONEM
FINITO EXAMINE SCHOLASTICO

D. XVI. SEPT.

A. R. S. MDCCLVII.

PVBLICE HABENDAM

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS;

LXXIX.

Haud inusitata est sacris scriptoribus, imprimis autem Dauidi familiaris ea loquendi ratio, qua DEI immortalis providentia excubiaturum, auxilium vero aliquantisper dilatatum somni imagine repraesentatur. Qua mente vates ille diuinus mox, DEVM obtestatur a) *expergiscere ad iudicium meum, et excitare ad causam meam*: mox animo perturbato et querula voce inquit: b) *cur dormis, Domine?* mox, Deo ultionem aduersariorum demandaturus, *expergiscere*, ait, c) *ad vindicandas gentes*; et mox, praesentissimum eius auxilium celebraturus, *Dominus*, inquit, d) *quasi ex somno excitus, hostium suorum terga cecidit*. Nos igitur, quamuis grauissimis calamitatibus immergi et tantum non oppressi, hoc solatium, veluti ancoram firmissimam tenemus; e) *ישן שר ישראל לא ינום ולא י. e. Deus excubitor populi sui neque obdormiscit neque dormitat*.

Quae quum ita sint, facile intelligimus, quantum lux fidei nostrae distet a tenebris hominum extra pomoeria ciuitatis christianae proiectorum. Hi enim vti diis suis putatitiis ea omnia attribuebant, quae in homines, etiam abiectissimos, cadere possunt; ita etiam somnum ab iis alienum non censebant. Et quemadmodum mortales non vno tempore somnum capiunt, aliis noctem, aliis autem meridiem praeoptantibus: sic etiam isti idolorum cultores deastris suis somnum non solum nocturnum sed etiam meridianum adfingebant. De illo HOMERVS hunc in modum loquitur; f)

Ἄρει τε καὶ ἀνέρες ἰπποκορυταί

ἔυδον πάννοχτοι, h. e. dii et equites galeati per totam noctem dormi-

ebant. Generatim etiam de diis OVIDIVS canit, Vestalia sacra commemorans, et diuersa diuerforum deorum studia, quae peracto epulo sequebantur, his verbis exponens; g)

hi ludunt, hos somnus habet.

Alio autem loco speciatim deos agrestes ait bene potos quieti se dedisse: h)

Ad solitos veniunt siluestria Numina fontes,

Et releuant multo pectora sicca mero.

Vina quies sequitur.

Imo ipse Somnus deus ingenue fatetur, nullum fere deorum somni esse immunem. Quum enim a Iunone etiam atque etiam rogaretur, vt Ionem sopiret, initio sese hoc modo excusabat; i)

ἄλλον μὲν κεν ἔγνωγε θεῶν αἰαγεγεταῶν

θεῶα κατενοσησάμι, h. e. alium deorum aeternorum ego facile consopi-

uerim. Eandem in sententiam HERODOTVS; Φασι, inquit, k) *τον θεον ἀναπαυεσθαι ἐπι της κλῆνης, dicunt, deum super lecto recubare*. Nominatim autem IVPITER semel atque iterum a poetis vel somno indulgens, vel eo excussus decantatur. Inter alia testimonia illud inprimis oculos ferit, quod Ionem post pocula cum Iunone et Vulcano largius hausta somno solatum monstrat; l)

Ζεὺς δὲ πρὸς ἓν λέχος ἦν Ὀλυμπίος ἀστεροπέτης,

ἐνθα παρὸς κοιμάθ', ἔτα μιν γλυκύς ὕπνος ἰκανοί,

ἐνθα καθεὺδ' ἀνάβασ. h. e. Iupiter Olympius fulgurator ad summum le-

ctum

a) P. XXXV, 23.

b) P. XLIV, 29.

c) P. LIX, 6.

d) P. LXXVIII, 66.

e) P. CXXI, 4.

f) Iliad. B. 1. 2.

g) Fast. VI, 329.

h) Fast. III, 303.

i) Homer. Iliad. E, 644.

k) in Clío L. I. c. 182.

l) Hom. Iliad. A. 609.

etum iuit, ubi olim dormiebat, quum ipsum dulcis somnus inuaderet, ibi etiam nunc dormiebat. Alio loco poeta deum Somnum inducit, de Ioue dormiente ita loquentem: m)

ἔτι εὐδεις

Ζεὺς, ἔπει αὐτὰ ἐγὼ μάλακον περὶ κωμῶν καλυψαί,

Ἥρη δ' ἐν Φιλολητῇ παρηπαιφεν εὐνηθῆναι. h. e. adhuc dormit Iupiter, quia ego mollem soporem ei offudi, Iuno autem amore eum decepit ad dormiendum. Idem vero poeta, qui Iouem iam ostenderat dormientem, paucis interiectis eum monstrat somno expurgiscentem: n)

ἔγχετο δε Ζεὺς

Ἰδῆς ἐν κορυφῆσι παρὰ χρυσοθροῶν Ἥρης. h. e. experrectus est Iupiter Idae in verticibus apud Iunonem aureo solio utentem. Pari modo fabularum architecti BACCHVM fingebant triennium cum Proserpina dorminisse. Audiamus poetam: o)

ἀμφιετη καλεῶ Βακχῶν χθονίον Διονυσόν,

ἔγχομενον κεραις ἀμα Νυμφαῖς ἐν πλοκαμοῖσιν,

ὅς παρὰ Περσεφονῆς ἱεροῖσι δομοῖσιν ἰαυῶν

κοιμῆσαι τριετήρα χρόνον. h. e. Terrestrem cano Dionysum, h. e. Bac-

chum, simul cum ornatis Nymphis experrectum, qui cum Proserpina in sanctis aedibus tempus trium annorum dormiendo consumpsit. Neque VENEREM a somno tibi temperasse, PROPERTIVS docet, canens: p)

Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

Et VESTAM somno fuisse obnoxiam, disertis verbis OVIDIVS testatur: q)

Vesta iacet, placidamque capit securam quietem.

Vnum fere MERCVRIVM, deorum quippe vigilantissimum, omnis somni expertem statuunt mythologi, quem multitudo negotiorum demandatorum, dormire vacat. Ipse enim his verbis hanc suam sortem conqueritur: r) το δὲ πάντων δενοτάτων, ὅτι μὴδε νυκτὸς καθευδῶ μόνος τῶν ἄλλων, h. e. omnium durissimum hoc est, quod ego solus ex numero reliquorum deorum ne nocte quidem dormio.

Non autem solam noctem dii profanarum gentium somno impendebant, sed illud etiam tempus dormiendo conterebant, quod AVSONIVS his signat verbis: s)

quum praebuit horas

secretas hominum coeui flagrantior aestus.

Et hanc ob causam sub meridiem vel templa deorum intrare, vel strepitu ea praeterire, nefas putabant, ne scilicet deorum quies interPELLARETUR. Audiamus super hac re THEOCRITVM: t)

ὲ θεμῖς, ὦ ποιμᾶν, τὸ μεσομβρινον, ἔ θεμῖς ἀμύν

συρισθῆν, τὸν Πανα θεδοικαμες, ἢ γὰρ ἀπ' ἀργαῶν

τανικᾶ κεμακῶς ἀμπευεται ἐντὶ γε πικρῶς,

καὶ οἱ αἰεθριμικᾶ χολαῖ ποτὲ θῶν καθηται. h. e.

nobis non licet, o pastor, meridiano tempore tibiis cantare: quia Pana meruimus. Certe enim a venatione fessus quiescit, amarulentus, et cui semper amara bilis in naribus residet. Neque alia de causa CALLIMACHVS illud tempus describit: u) μεσομβρινας εἰς ἕρος αἰσυχᾶ,

m) Iliad. Ζ. 358.

n) Iliad. O. 4.

o) Orphei hymn. in Bacch.

p) L. III. El. IV. 34.

q) Fast. VI. 331.

r) Lucian. Dial. Merc. et Mai. p. 232.

s) Idyll. X. 180.

t) Idyll. I. 15.

u) Hymn. in Lacaer. Pall. 12.

h. e quum quies meridiana montem occuparet. Haec non ignorans vates ille diuinus, Elia, sacrificulos Baaliticos hoc nomine false irridebat, quod non solum deastrum suum somnum capere, sed nominatim etiam meridiari, persuasum haberent w) Vti vero vibia varam sequitur, ita homines isti caecutientes ex hoc figmento nouam eamque falsissimam opinionem comminiscabantur, scilicet, diis sub meridie dormientibus, malos genios et summam potestatem et liberrimam occasionem nocendi habere. Et sunt, qui verba vatis diuini: x) *ne curas tuas in meridie grassentem*: hac ex sententia interpretantur. Ex hoc autem intelligitur, cur sacrificuli isti, quos iam adduximus, usque ad meridiem clamarent, finitoque demum tempore meridiano, quod diserte commemoratur, y) vociferando pergerent. Quum enim iam horis matutinis deastrum inuocassent, neque tamen exaudirentur, periculosam arbitrabantur, infesto meridiei tempore clamorem redintegrare. Quare tutius et consultius videbatur, tantisper tacere, dum Baal somno expergefactus esset. Sed satis de somno deorum nunc dictum erit, si vnicui Iac. GV THERII testimonium z) addidero: *dii per sacra nefaria consulebantur, et per solemnes preces aduocabantur, quod proprie est sacra commouere; quum nempe illi in rebus trepidis dormire viderentur, vel in prosperis deberent excitari.*

Itaque digna omnino sunt commentitia idololatrare numina, quae illudantur atque exagitantur. Neque defuerunt vnquam viri graues et integrae fidei, qui nugae et sordes superstitionis profanae grauius perstringerent et absurditatem idolorum colendorum idoneis argumentis demonstrarent. Ex multis ARNOBIVM audiamus: a) *quid sibi volunt excitationes illae, quas canis matutini, collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt scilicet Superi, remeare ut ad vigiles debeant? Quid dormitationes illae, quibus, bene ut valeant, auspiciabili salutatione mandatis? Somni enim quiete soluantur, occupanturque ut hoc possint, lenes audiendae sunt nauinae? Quam misera igitur fuit conditio istorum hominum, tenebris ignorantiae oppressorum, et vanissima superstitione inescatorum, quod nunquam certi et persuasi esse possent, vtrum dii, ad quos preces faciebant, vigilarent, an vero dormirent; tam felices nos sumus, DEO vtentes, qui neque obdormiscit neque dormitat, vel vti poeta canit, b)*

*Nunquam securae petie otia blanda quieris,
Tempora qui placidi nulla soporis agit.*

Qua fiducia etiam nos freti, DEO immortali nos non solum et fata nostra permitimus, sed quoque precando instamus, atque in spem haud dubiam adducimus, fore, vt calamitatibus, quibus adhuc circumfessi et implicati ingemiscimus, iusto tempore exsoluamur, nouis gratiae coelestis praesidiis re-reandi.

Iam vero restat, vt praesens institutum indicemus, quod argumentum ad hanc scripturam iam subministravit. In eo nempe est iuuenis et dignitate familiae, et erecta indole, et ingenio felici florentissimus, nobisque ideo commendatissimus, quod, Horatio monitore, sapere et fari didicit, MAVRITIVS ERDMANNVS ENGEL, Chemnitienfis,

vt scholam cum academia permutet, sacris musarum non solum sub auspicio Optimi et Maxime Reuerendi Parentis initiatus, sed etiam cum publica tum priuata magistrorum institutione probe inuitatus. Hic igitur, ne quod pietatis officium praetermittere videatur, publica oratione, latino stilo composita, quae acquireret, in *quantum Artula, heros ille famigeratissimus defendi possit?* et subnexa grati animi significatione, partes suas laudabiliter exsequetur. Quo facto, condiscipulorum nomine amicus suauissimus et commilito coniunctissimus,

Gottbelf Fridr. Oppelt, Crummenhennersdorf.

carmine Teutonico, ad praesentis temporis rationes adcommo dato, *Germaniam cum Saxonia pacem anxie suspirantem* ostendet, et amicum discedentem religiosis votis prosequetur.

Vos igitur, PATRONI, FAVTORES atque AMICI, in aroeterio superiori scholae nostrae vt cras, si DEVS scierit, faciles conueniat, et oratores nostros, qui omnem suam alacritatem a Vestro fauore mutuauerunt, omnemque gloriam suam in Vestra indulgentia ponunt, hora post meridiem secunda, peractis sacris, beneuole auscultetis, ea, quae decet, obseruantia, impense rogamus.

P. P. *Freibergae* d. XV. Sept. anni, haec testera diuina notati;

SI LenDo et speranDo Crescet fortitudo nostra,

(*Ies. XXX, 15.*)

w) i. Reg. XVIII, 26.

x) Ps. XCI, 6.

y) l. c. vers. 29.

z) de iure vet. Pontif. L. 4.

a) aduers. gent. L. VII, p. 237.

b) Eoban. Hess. Pf. 121.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle 3
002 103 591



7A50L

VD 18





Inches

1 2

3 4 5

6 7 8

9 10 11

12 13 14

15 16 17

18 19

20

Centimetres

1 2

3 4 5

6 7 8

9 10 11

12 13 14

15 16 17

1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE
ORMIENTIBVS

PTIM PRAEFATVS

RATIONEM
KAMINE SCHOLASTICO

D. XVI. SEPT.

R. S. MDCCLVII.

ICE HABENDAM

INDICIT

OTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

ris MATTHAEANIS.

LXXIX.

79